DE

NONNULLIS NYMPHARUM VARIETATIBUS ET DEGENERATIONIBUS INSIGNIORIBUS ET INPRIMIS DE NOTABILI QUADAM ILLARUM DEGENERATIONE LUXURIANTE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. M. APRILIS A. MDCCCXXV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ERNESTUS BENIAMIN KLEWITZ.

MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

A. BOCK, MED. ET CHIR. DR.
FRID. NEUMANN, MED. ET CHIR. DR.
OTT. REICHEL, MED. ET CHIR. DR.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE DUAE.

BEROLINI
FORMIS BRÜSCHKIANIS.

Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.

Cic. de Nat. Deor. L II. c. 3.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

J. N. RUST,

REGI A CONSILIIS IN RE MEDICA SUPREMIS AC MINISTRIALIBUS, CHIRURGORUM MILITARIUM REIQUE MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI SUMMO PRAEFECTO; MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ET ACADEM. MILIT. CLINICI CHIRURG. OPHTHALM. INSTIT. CHIRURG. ET OBSTETR. IN NOSOCOMIO CARITATIS DIRECTORI; MILIT. EMERIT. MEDICO PRIMO, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE, NEC NON ORDINIS ST. ANN. IN CLASSE SECUNDA EQUITI, COLLEG. EXAMIN. MED. PRAEF. COMPLURIUMQUE SOCIETAT. LITTERAR. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET PATRONO

SUMME VENERANDO

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, ERUDITISSIMO, HUMANISSIMO

C. RUHBAUM,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, SUMMO QUONDAM REI MEDICAE PRAEFECTO IN LEGIONE QUADAM EXERCITUS BORUSSICI EXAUCTORATA, MEDICO PRACTICO APUD RATHENOVIENSES

FAUTORI ET AMICO

DE SE OPTIME MERITO

TENUE HOCCE IUVENILE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

P r a e f a t i o.

Perlustranti mihi vastum medicorum campum multa quidem oblata sunt, sat digna quae dissertatione comprehenderentur: quorum saltem nonnulla lubenter arripuissem, nisi vel abunde tractata, vel ardui laboris mihi visa essent. Forte igitur suppeditatam occasionem, qua mihi contigit, nympharum stupendam degenerationem describere, amplecti operae pretium duxi, praesertim cum mihi liceat ex summa munificentia Viri Illustr. Rust, tabulas illustrantes pagellis hisce adiicere, atque e re fore arbitror, rariores medicisque, nisi in magnis ncsocomiis artem exerceant, haud frequenter in conspectum venientes casus litteris mandasse. Opusculum, quo, ne transitum similitudinemve omnem neglexisse videar, nympharum aliquot varietates complecti conatus sum, exhibeo leve, ab omni hypothesium fuco ornante destitutum, mancum nimirum, uti iuvenis in arte rudis, parum otio fruens et academicis legibus potius, quam studiis meis satis facturus, scribere potui; lectoresque benevolos, si qui sint, rogo, ut benigne iudicent ne oleum operamque perdiderim.

Introductio.

Permagni sane momenti est vitae, quam vegetativam nuncupant, aberrationes, quantum quidem fieri potest, perquirere, de causis earum argute sciscitari, indolis formae mutatae, incrementi, decrementi, et eiusmodi aliorum rationem habere, ut inde arti medendi emolumenta nascantur.

Iam vero in procreandis corporibus natura mysteriorum plena deprenditur, tecte in nutriendis illis procedit, longe vero absconditissimos tramites ingreditur, ubi hisce in rebus a via maxime trita deflectit. Quamquam evictum esse videatur, materiem organicam, aequabilem, fluidam, e vasis ad quamcunque partem nutriendam deponi, ibique commutari, vel vi vasorum, e quibus fluxerit, atque inde redundante peculiari motu conformante, vel vi partium nutriendarum, vel etiam quocunque alio modo incognito; tamen ex his ne sanam quidem nutritionem penitus perspicere liceat, atque tantum abest, ut his perscrutandis aliquid de morbosa illa nutritione atque degeneratione, cuius descriptionem exhibere in animo mihi est, eruere adnitar, ut potius censeam, talem naturae cognitionem homini omnino esse negatam.

Omissis igitur omnibus, quae de nutritione aberrante et imprimis de perdifficili eiusdem divisione generatim dici possint, superesse fere videtur, ut nomen luxuriantis degenerationis vindicem, quod describendo nympharum deflexui a forma et textura sana imposui. Neque tamen operae pretium foret, de nomine aliquo rixam movere, cum nimirum naturam nostris systematibus adaptare incassum moliamur. Ideoque describendam excrescentiam ad degenerationis tribum retuli, quod ex prava, materiae nutritioni inservientis conformatione originem duxerit, quà simul organi sana structura atque functio interiit; luxuriantem vero nominavi, quia non solum nympharum degenerem molem insigniter auctam reperi, sed quoque vicinas partes simili rapido atque degeneri incremento correptas vidi. Attamen si cuilibet placeat hance degenerationem ad pseudorganisationes referat, illique hypersarcoseos, aut quodcunque aliud nomen imponat.

Videtur quidem hoc loco a me exigi posse, ut primo brevem genitalium muliebrium descriptionem anatomicam exhibeam, deinde indicem, quae sit peculiaris eorum vita quaeque

eorum, tum ad singula organa, tum ad totum corpus, sana atque morbosa ratio, et denique ut omnium morborum, quibus obnoxia esse solent, succinctam historiam tradam.

Quorum tamen alterum veluti satis superque tritum omnino mitto, alterum linquo, ne ardui laboris paucis non absolvendum opus suscipiam, atque tertio ideo me supersedere posse persuasum habeo, quod brevem delineationem nihil utilitatis praebituram, latefusam vero tractationem me a proposito deducturam censeam.

Prae ceteris quidem corporis humani organis genitalia muliebria, quippe quae maximam partem e tela cellulosa, ad degenerationes tam prona, constructa sint, et vegetiori vita fruantur, a forma atque textu iusto recedere videmus, ita vero ut singulae horum partes frequentius laborent. Ex internis generationi dicatis organis saepenumero ovaria, raro absque totius corporis inde nascente aliquo incommodo, degenerant; ex illis vero, quae externis genitalibus annumerantur, nymphae et, quod his continuum est, clitoridis praeputium quamplurimum a sana, aut certe a maxime solita forma fabricaque, plerumque quidem sine magna inde oriunda noxa, abludunt.

Itaque ad nympharum varietates et degenerationes describendas, postulante libelli inscriptione, transeamus, quas vero istarum minoris momenti putamus, breviter tactas linquamus, dein ad aegrotantium historias tradendas properemus, quaeque illis adiungenda videantur, adiiciamus. —

Cap. I.

De nympharum varietatibus notabilioribus.

Nymphae nonunquam aut in altero, aut in utroque latere defuisse feruntur, quo in casu vel nulla alia adiacentium partium a solita forma declinatio occurrebat, uti exemplis, a Riolano 1) Morgagni, 2) de Haen, 3) et Meyer 4) in medium prolatis, commonstratur, vel quoque vicinae partes a maxime naturali fabrica recedebant, cuiusmodi observationes Louis, Morand 5) Stores et Wright 6) exhibuerunt. Saepissime illarum origo diversa reperitur 7). Nonnunquam iusto minores occurrunt 8), interdum multiplices sunt 9), longe vero saepius

1) Riolan. L. II. c. 35. p. 186.
2) Morgagni Adv. anat. IV. an. XXIII.
3) Heilungsmeth. T. VII. c. II. §. 3. B. III. S. 40.
4) Schmucker's chir. Shhrift. B II.
5) Opusc. de chirur. P. II. p. 287.
6) Baillie Anat. pathol. p. 344.
7) Haller Element. Physiol. T. VII. p. II. pag. 85. Neubauer de triplic. nymphar. ord. p. 3. 4.
8) Morgagni de scd. et caus. morb. Ep. XXVIII. §. 20. Haller l. c. Riol. l. c.
9) Neubauer l. c.

earum moles iustum modum exsuperat, quod nonnullis, austro subiectis gentibus, familiare quid esse videtur, ita, ut ideo haud raro circumcidantur 10). Africae incolae inprimis huiusmodi nympharum magnarum specimina exibent, quae a variis auctoribus varie descripta leguntur. Aëtius 11) nymphas Aegyptiarum haud raro ita longas fieri memoriae prodidit, ut eas illarum nonunquam puderet, Bellonius 12) tales apud Copticas foeminas observavit, Thevenot 13) Mauris proprias esse refert, et Leon 14) Aethiopissis, Peguanis et Malabarensibus. Imprimis vero in Hottentottis nymphae insigniter prolongatae, molles, carnosae, unacum praeputio clitoridis nonnunquam multum deducto, e vulvae rima propendent, uti Querhoent, Cook, Ten Rhyne, 15) Sonnerat, Barrow, 16) Sommerville 17) et Cuvier 18) asserunt. Harum vero sicuti aliarum Africae foeminarum non nymphae solummodo tanta incrementa capiunt, sed et maiora vulvae labia nonnunquam in magnam molem accrescunt, quod foeminae arte moliri a nonnullis dicuntur 19). In aliis vero clitoridis praeputium unacum clitoride e labiorum maiorum commissura anteriori ad modum panni carnosi, vulvae rimam omnino obtegentis (quod ventrale cutaneum nonnullis audit) demittitur. Quod genus Clark 20) in Aethiopissis e gente Mandigo et Ibbo, Indiae occidentalis incolis, observavit, et, suadente Otto 21), Gaultier 22) inter Patagonenses invenisse videtur. Sonnini 23) tale quid in puella Aegyptiaca, annos octo nata, observasse refert, atque in huius partis resectione circumcisionem consistere persuasum habet. Peron 24) et Lesneur hocce ventrale cutaneum in Hottentottis,

---

10) In mulierum circumcisione non satis constat, quaenam partes resectae fuerint. Saepissime quidem clitoridem, quippe quam per nymphae nomen intellexere, veteres amputasse videntur. Ceterum de circumcidendi ritu apud vetustiores scriptores monumenta exstant. Videas plura hac de re apud Strabonem (L, 16.), Galenum (in introduct.), Aëtium (Tetrabl. 4. Serm. 4. c. 103.) Albucasin (L. II. c. 7.) Avicennam (L. III. c. 21. Tract. IV. c. 24, Tract. I. c. 23. Sidi Ben Hali (c. de circumc.) Gabr. Sionitam (de oriental. urbib), de Cormesin (Voyages d'Orient), Thevenot (Voy. L. II. c. 70.) Damnian. a Goes (de fid. relig. morib. Aethiop.) Schurig (Spermatol. C. II. p. 528.) ed.(Muliebr. Sec. II. c. II. p. 140.) Leon. (Afric. L. III.) Sonnini (Voyage en haute et basse Egypte) Math. Zimmerman (de Aeth. circum.) Niebuhr (Beschr. v. Arab.) etc.

11) l. c.

12) Observation.

13) l. c. T. III. c. 14.

14) l. c. L. III.

15) de promont. bonae spei c. X. p. 33.

16) Voyage.

17) Med. chir. Transact. Vol. VII. p. I. p. 154. Meckel's deutsch. Arch. T. V. p. 159.

18) Mém. du Muséum T. III. p. 259 - 274. Meckel's deutsch. Arch. p. 153.

19) Levaillant (Voyage dans l'inter. de l'Afrique T. I. p. 371.) Banks (Hawkesworth's collect. T. II. p. 388.

20) Home in philosoph. Transact. abridged. Vol. XVIII. p. 488.

21) Neue selt. Beobacht. zur Anat. Physiol. und Pathol. gehörig, II. p. 135.

22) Neue allgem. geogr. und stat. Ephem. B. XII. St. I. p 30.

23) l. c. T. I.

24) Voyage. T. I.

et in primis inter Huzuanas viderunt, Otto 25) in Aethiopissa. Apud nostrates nymphae rarius enormes fiunt, inter Camschadales tamen, tales occurrere traditur 26).

Cap. II.

De nympharum nonnullis degenerationibus.

Praeterea vero nympharum moles, e causis haud raro incognitis, insigniter augetur, penitiori textura simul a sana conditione plus minusve deflectente. Referente Schurig 27) Domicus Panarolus 28) meretriculam aegrotantem vidit, quae nymyham unam tantae magnitudinis habebat, ut piscem torpedinem, qui vulgo italice occhiatella vocatur, repraesentaret. Talem nympharum procrescentiam se annotasse meminit etiam Regnerus de Graaf 29). Secundum Cornelium Soling 30) nymphae saepe in tantam magnitudinem excrescunt, ut etiam in actu venereo viris impedimento sint, cui et Varandaeus 31) adnuere videtur. Riolanus 32) nympharum magnarum mentionem facit, item Mauriceau 33) et Gooch 34). Soemmering 35) nympham dextram resectam, sex pollices langam atque pondere unciarum octodecim invenit. Osiander 36) eandem in puella sedecim annos nata fuscam atque pollicem latam vidit. Nympham sinistram iustum modum exsuperantam observavit Thilow 37), qui aliquando dextram ad duas pollices longam, in puella insigniter voluptuaria, reperit, forsan sine aliqua degeneratione. Ego ipse ad foeminae, ex hydrope mortuae, nympham sinistram affixam excrescentiam pedunculatam inveni, quae magnitudine pomi parvi, cincta erat epidermide rugosa illi nympharum omnino simili et dissecta cellulosum textum confertum atque tenacem exhibuit. Soucerotte 38) tumorem fungosum, nymphas atque clitoridem simul involventem, magnitudine panis librae unius, in foemina parturiente vidit, quem lochiis cessantibus cultro amputavit. Similem degenerationem Vicq. d'Azyr et Poulletier de Lasalle observasse, refert Murat 39). Eiusmodi observationes plures facili negotio accumulare liceat; cum vero accura-

---

25) l. c.
26) Selzer's Beschr. von Kamschatka.
27) Muliebria. Sect. II. c. II. p. 132.
28) Observat. Pentacost. 4. Obs. 3.
29) Oper. p. 168.
30) de Oper. chirur; P. III. c. 32. p. 319.
31) Tract. de morb. mulier. L. I. c. 13.
32) Anthropograph. L. II. c. 35.
33) Observ. sur la gross. obs. 174.
34) On Wounds and other surg. subi T. II. p.246.
35) Baillie path. Anat. S. 242. Anmerk. 504.
36) Annal. d. Entbindungskunst. B. I. p. 168.
37) Beschr. anat. path. Gegenst. B. I; Th. I. p.72. Tab. II. f. 4. ibid. p. 81.
38) Melanges de chirurg. T. II. p. 394.
39) Dict. des sciences medic. T. XXXVI. p. 560.

tionem harum degenerationum descriptionem apud auctores plerumque desideramus, atque fusiorem tractationem operis fines non permittant, hanc farraginem adaugere operae pretium non putamus. Moneamus tantum, haud raro satis cognitis ex causis e nymphis degenarationes luxuriantes, aut potius pseudorganisationes pullulare, ab illis quas descripturi sumus facillime dignoscendas, (uti condylomata, verrucae etc) atque confestim pollicitas morborum historias tradamus.

Cap. VI.

Morborum historiae.

A.

Friederica Valentin, mercenarii uxor, viginti et octo annos nata, statura mediocri, constitutione non sat valida, temperamento sanguineo et cute tenera, die decimo octavo Mens. Iulii ann. praet. ad Caritatis nosocomium se contulit, ut ob notabilem quandam genitalium deformitatem medicum auxilium sibi compararet. De parentum valetudine, quippe quibus iam infans orba erat, nil certi referre potuit, et tantummodo audiisse asseruit, matrem subinde cardialgia cruciatam fuisse; itemque an morbos exanthematicos perpessa sit, infantili aetati raro parcentes, omnino nescire se confitetur. Decem et tres annos natae sub mento tumor glandularis inflammatorius obortus est, qui, suppuratione per nonullas hebdomades tracta, tandem cicatrice obductus est, ex qua superstite scrophulosa mali huius indoles extra omnem dubitationis aleam ponitur. Alia scrophulosi morbi symptomata, neque tunc temporis, neque postea, prodiere. Pubuit virgo et apparuit menstruus fluxus decimo quinto aetatis anno, absque omni inde nata turba valetudinis. Anno sequente sub regione inguinali dextra virgini abcessus contractus est, cuius aegrota casta nullam aliam causam, nisi motum nimium exhibere potest, quemque, aspernatis auxiliis medicis, sola vi naturae sanatum refert. Octo ante annos in matrimonium ducta est. In quo, cum iam tres annos optima sanitate fruens transegisset, ad internam nymphae sinistrae superficiem nodulus rubicundus, durus, aequalis apparuit, qui, pressus parum dolens, dein latior factus et mox vesicula lympham continente obtectus est. Vesicula, postquam per hebdomadem fere perstiterat, disrupta, ulcusculum laeve, superficiale reliquit, quod mingentem graviter lancinante dolore affecit. Ulcus latius latiusque vergens, mox totam fere nymphae superficiem occupabat, quae magis tumescens tum extra pudendi rimam iam prominebat, atque mensibus aliquot praeterlapsis, ulceribusque, sola

vi naturae medicatrice, sanatis, cute firma, undique inaequali subrubra obducta est, et cristam carnosam, duram tuberculis semiglobosis obsitam, et ab omni parte inaequalem exhibuit. Nymphae mole interea sensim sensimque aucta, idem malum, indies latius serpens clitoridis praeputium atque alteram nympham occupabat, notabilemque deformitatem procreavit. Praeputium subinde aeque ac nympharum interna superficies ulceribus, multa foetente sanie scatentibus, obsessum, mox celeriora cepit incrementa, ita ut per annum ab origine mali praeterlapsum ad pugni magnitudinem iam accreverit. Ulcera, quorum modo mentionem feci, nonnunquam e levi excoriatione oriunda, haud raro vero post sphacelum partialem ingruentia, plerumque nihil curanti sponte sanuere, semper aquae frigidae, saepius admotae, ita cessarunt, ut cicatricibus firmis, subrubris obducerentur, quarum margines tubercula, variae magnitudinis, depressi globi dimidium referentia, exhibuere. Crescente interea degeneratione labia vulvae maiora tumuere, pubes ex illis defluxere et ex anteriori vaginae pariete tuberculosa eminentia procrevit; fluxus vero menstruus nihil, quod praeter naturam fuisset, exhibuit, usque dum ante duos annos huncce, tribus forte vicibus, fluor albus per aliquot dies antecessit. Praeterea nulla alia sanitatis labes exorta est. Sedecim ante menses aegrota gravida facta est. Graviditate durante et placide ad finem vergente, degeneratio celeriora incrementa capere aegrotae visa est. Parturientis dolores legitimo tempore intrantes, sat vehementes quidem erant, neque tamen prolem ob partium angustias eniti valuere, liquore amnio duodecim horas iam effuso. Medico igitur obstetricis munere fugenti nulla alia patuit via, nisi durum, ac dilatari nescium vaginae orificium cultro incidendi, atque forcipis ope partum excludendi. Copiosa, e vulnere affligato non minus, quam ex utero manans, haemorrhagia, mox inhibita est. Febris lactea non levis oborta, sola natura victa est, lochiorum fluxus nunquam turbatus est, et puerpera, lacte distentas mammas sanae proli, per sex hebdomades porrexit, quae hoc tempore repentine ingruente apoplexia defuncta est. Vulnus introitus vaginae, trium mensium spatio, aptis medicaminibus adhibitis, sanatum est. Menstruus fluxus, decima post partum enixum hebdomade, cum abdominis doloribus sat vehementibus reversus est, et postea duplici vice, sed parcius fluxit, exinde vero non rediit. Per ultimum semestre excrescentia nulla fere incrementa cepit atque ulcera omnia sanuere. Quatuordecim ante dies, lassitudine, anorexia etc. praegressis, aegrota nostra synocha gastrica correpta est, ex qua, apta medela instituta, nunc fere convaluit. Hac sub febre nova ulcera paucorum dierum spatio oborta sunt.

Die XIX. M. Iul. a. praet. praeter iam memorata status gastrici symptomata inprimis ad degenerationem curatius examinandam animum impulimus. Mons veneris nihil, quod a perfecta sanitate abhorreret, exhibuit. Magna vero pudendi labia, et horum inprimis sinistrum, insigniter tumida mihi oblata sunt, pedunculo degenerationis quatuor pollices lato diducta, ab omni pube destituta, rigidiore cute vestita et palpitantibus digitis iusto magis renitentia,

Commissura superior omnino fere evanuerat, atque leviter subsidens linea tantummodo vestigia eiusdem legerat. Interna labiorum superficies per profundiorem sulcum a degeneratione dissepta erat. Huius pedunculus aliquantum coarctatus inter commissuram labiorum superiorem atque urethrae orificium ita affixus erat, ut partes eius laterales, nympharum nimirum fines posteriores, ultra vaginae ostium, ano tenus fere, extenderentur. Degenerationis superficies anterior, superne contractior, ad utrumque latus leviter flexa et ad posteriorem vergens, media parte octo pollices lata, a commissurae superioris vestigio usque ad imum marginem sat inaequalem septem fere pollices longa reperta est. Paene ubique, et praecipue ad imum marginem, tubercula glabra semiglobosa, compressa, plerumque magnitudine pisi, et quod excurrit, confertim in conspectum data sunt, quae verrucis quidem simillima nusquam tamen harum structuram peculiarem exhibebant. In dextro latere ubi anterior convexa supperficies posteriora versus reflectitur, et quidem ad huius imam fere partem, tria ulcera, inaequalibus, praeruptis tuberosis, marginibus circumsepta mihi oblata sunt, e quorum fundo demisso, ex livido flavescente, impuro et fere ubique aequali et plano sanies, intolerabilem hircinum foetorem spargens sat copiose destillabat, quae tamen vicinas, quas conspurcaverat, partes nec adroderat, nec inflammaverat (Vid tabul: I). Superficies posterior, ubicunque anteriori et laterali utraque contigua, cristis e tuberculis semiglobosis inaequaliter constructis circumdata erat, sulcosque exhibebat varios laevi ubique cute, e cicatrice sanatorum ulcerum orta, obductas, hinc inde maioribus aliquot tuberculis relictis. Ad summam superficiei posterioris partem, ante urethrae ostium, tuberculum clitoridem forsan referens oblatum est, quo tacto atque tractato titillationis sensum aegrota sibi conciliavit. (Vid. tabul. II.) Tota degeneratio dura atque renitens, leviorem tactum nusquam percepit, ubi tamen ad mediam partem fortiter pressa fuerit, aegrota de premente quodam et obtuso dolore questa est. Ceterum eunti aegrotae molesta, coitum exercenti impedimento erat excrescentia, maritum tamen, qnem semper passa est foemina, foeda ulcera nunquam labe aliqua contaminavere. Vaginae introitum formantes partes solito duriores inveni, columnae rugarum deerant et ab ima parte anterioris vaginae parietis excrescentia tuberosa, pedunculata, magnitudine nucis iuglandis minoris in ipsam vaginam propendebat. Uteri portio vaginalis sana erat sicuti abdominis vicinae partes omnesque ceterae, excepto femore sinistro, cui varices aliquot, iam ante graviditatem ortae, inhaerebant.

Die XX Iul. mens. modo conscriptam morbi historiam retuli, praesente Ill. Rust, clinicas exercitationes chirurgicas et ophthalmiatricas in nosocomio Caritatis moderante.

Gastrica symptomata, magis in conspectum data, praeceptorem meum praeclarum compulerunt ut illi emeticum praescribendum curaret. Ceterum perpendendis scite perpensis, ut degenerata moles resecetur, praecepit.

Vomitu sat valido, tartari stibiati et oxymellis squillitici ope, provocato, aegrota multum mucosi et biliosi eliminavit atque haud parum levaminis inde percepisse asseruit.

D. XXI ei. mens. gastrosis symptomatibus omnino fugatis, ciborum appetitus rediit et aegrota pas-a est, ut degenerationem ad naturam depingerem.

D. XXII ei. mens. ad degenerationem resecandam constitutus est. Praeparandis praeparatis, aegrotaque apte collacata, Dr. Betschler coram Ill. Rust omnibusque medicis iuvenibus caritatis clinicum chirurgicum frequentantibus, operationem aggressus est. Degeneratione adlevata et cathetere in urethram demisso, medicus experientissimus sulcum istum incidit, qui inter labium dextrum maius et degenerationem ipsam occurrebat, repetitisque vicibus ad sinistrum latus pervadens, totam degeneratam molem, salvis labiis maioribus atque illaeso tuberculo isto, quod clitoridem quasi referebat, resecavit. Dolorem vehementem aegrota percipiebat atque multum sanguinis effusum est, tamen septem ligaturis applicatis haemorrhagia coercita est. Excrescentia vagina circumclusa, cuius supra mentionem feci, ad basin coarctatiorem ligatura vincta est.

Labia maiora repentine multum detumuere, atque tota vulneris facies inde multo angustior facta est. Vulnere, post haemorrhagiam fugatam, linteo carpto obtecto, et fascia T-formi applicata, aqua frigida superimposita est. Fuit degenerata moles pondere librarum quatuor et unciae unius, circumdata tunica tenace, renitente cum subiacente tela cellulosa arctissime cohaerente, penitus e cellulosa tela, solito arctius constipata, constructa, et ubi recissa aut incisa erat multa, sat ampla vasorum lumina prodiere. Nervos discernere non licuit, quamquam non absonum foret coniicere, eos non plane defuisse, cum et sensus et dolor non defuere. Servatur in Museo anatomico Berolinensi.

Hora a degeneratione amputata praeterlapsa, aegrota levi cum horripilatone ingrediente febricula correpta est, quam tamen guttulae aliquot tincturae Thebaicae fugabant. Omnibus illis bene moderatis, quae ad phlogosin propediendam conducunt, epithemata frigida per tres nycthemeras adhibita sunt. Quarto die vulnus, quod laetum vultum exhibuit, pus tamen tenue excrevit, denuo deligatum est impositis linteis unguento simplici illitis.

Die XXX Iul. m. fila, quibus vasa vincta fuerant, soluta sunt, et sponte quidem; sed ea quoque ligatura, quae tuberculum vagina inclusum comprehenderat, semota est, quippe quae inefficax plane fuerat. Pus bonae notae inventum est, atque vulneris ambitus multum minutus, cicatrice iamiam ingruente. Ceterum aegrota hucusdum optima valetudine gavisa est. Ligatum est vulnus ut supra.

Die VIII. August. ei. ann. vulnus iam ultra dimidiam partem angustius factum erat et carunculis, plerumque bonae indolis, impletum. Luxuriantes, sparsim occurrentes, carunculae argento nitrico fuso corrosae sunt. Tubercula nonnulla posteriorem vulneris marginem

occupantia solutione hrydargyri corrosivi 40) quotidie humectata, mox erosa ulcerando abierunt.

Die XVI ei. Mens. vulnus ad angustius spatium contractum bonaeque indolis fuit, tubercula supradicta evanuerant et mulieri, valetudine optima fruenti, quae, rebus domesticis compulsa, enixe flagitabat, ut e nosocomio mittatur hoc concessum est. — Exinde munditie servata, et aqua tepida vulneri saepius imposita, hebdomadum duarum spatio optima cicatrix nihil incommodi afferens obducta est.

His diebus (mens. Mart. ann. c.) foeminam visitavi, eamque optima valetudine inveni. Nihil ad genitalia excreverat atque tuberosa eminentia vaginae nulla incrementa ceperat.

B.

Anna Dorothea Bothe, Parthenopolitana, annos sexaginta et quatuor nata, duodecimo Novembris, anni praeterlapsi die aegrotantium numero nosocomii Caritatis adscripta est. Sanis parentibus nata, praeter variolas per totam infantilem aetatem nullus alius morbus illam male habuit. Ad pubertatis annos feliciter pertetigit, menstruo fluxu et ad naturae normam ingruente et redeunte. Annos viginti et quinque nata, gravida facta, ob moestitiam in melancholiam incidit, e qua tamen, nonnullarum hebdomadum spatio praeterlapso, medicorum apto auxilio convaluit. Ex quo in matrimonium ducta septies sanos ubique infantes utero exclusit, et quidem sine ullo corporis incommodo, si modo rupturam perinaei incompletam excipias, quam sub secundo partu sibi conciliavit. Tredecim ante annos foemina eo tempore, quo menstrua fluebant, vadum frigidum transiit quo facto menstruus fluxus statim suppressus et leucorrhoea sat vehemens exorta est, qua perseverante et indies aucta, sensim vaginae excoriationes et partium vicinarum intumescentiae inflammatoriae secutae sunt. Inflammatione modo sedata, et carunculae myrtiformes et nymphae ita induruere, ut marito coitus omnino negaretur. Urethrae orificium, inaequalibus atque verrucosis marginibus circumdatum, urinam tantummodo interrupto atque diviso quasi radio erumpere licuit. E nymphis induratis eadem labes ad clitoridem migrans, has partes ita permutavit, ut intra anni spatium ad ovi gallinacei magnitudinem accreverint, atque nihil pristinae formae sibi relictum sit. Fluor albus eodem fere vigore ad hoc usque tempus perseveravit. Excoriationes, sub ingruente morbo leves, mox in ulcera foeda, impura,

---

40) Rcpt. Hydrarg. mur. corros. drachm. duas.
Camphor. drachm. unam.
Alcohol. Vin. unc. duas.
M.

profunda, dolentia, abiere, quae marginibus praeruptis cincta, multum saniei foetentis secernebant. Quinque ante annos in superiori superficie molis degeneris, e commissura labiorum superiori dependentis, tuberculum excrevit fragi maioris haud absimile, cui aegrota, hac de re sollicita, medico quodam suadente, herbas aromaticas imposuit, quibus adhibitis post nonnullas hebdomades factum est, ut excrescentia exsiccata quasi et corrugata deciderit, ulcus tamen reliquerit, quod demum in fistulam profundam, totam degeneratam molem perforantem abiit. Per quam, cum pervia erat, ligatura transiecta est, qua indies arctius constricta fistula abolita est, perseverantibus aliis ulceribus. Post repetitam blepharophthalmiam glandulosam oculi dextri, tribus ante annis idem aegrotae oculus cataracta capsulari obcaecatus est, quae etiamnum perstat. Quatuor hebdomades foeminam psydracia ex immunditie orta male habet.

Die XIX Novembr. m. ann praet. turbam malorum, quibus anus iam decrepita obruta erat, curatius perquisivi, nihil tamen inveni, quod cum degeneratione aliquomodo cohaeruisset, quodque ideo omnino omittendum putavi. Nympham utramque parum tumidam atque deductam, penitus vero induratam, et ad similitudinem cristarum galli, sub gutture pendentium, formatam reperi, quocum continuum tuberculum, magnitudine fere ovi gallinacei inveni, quod basi angustiori commissurae labiorum pudendorum maiorem superiori quasi insinuatum erat. Fuit rugosum, tuberosum, ab omni parte inaequale, renitens, vehementer contrectatum parum dolens, et ad inferiorem superficiem ulceribus multis, profundis, impuris obsessum, quae tuberosis et duris marginibus cincta erant.

Clitoris discerni non potuit sicuti urethrae orificium, multis minoribus tuberculis obrutum; et vaginae introitus, duris, tumidis, hinc inde ulceribus defoedatis carunculis ita praeterclusus, ut ne digitus quidem immitti queat. Praeterea hic loci varia, inaequalia, profunda ulcera, sanie repleta, occurrebant, quorum quae labiorum maiorum posteriori parti inhaerebant, syphiliticis haud absimilia visa sunt. Urinam aegrota iusto saepius et multo cum dolore ita eliminabat ut ad quodvis latus spargeretur. —

A die XXI mens. Novembris ad diem XII mens. Decembris ann. praet. aegrotae hydrargyrum muriaticum mite, ad modum Weinholdii 41) administratum est, cuius octo doses devoravit. Qua sub curatione exanthema memoratum, munditie simul servata, mox fugatum est, erysipelas tamen faciei ingruit, quod priusquam fastigium adscenderet emetico mature propinato cessavit. Sub fine huius medendi rationis ptyalismus exortus est, quem lotiones oris tepidae et oleum camphoratum 42) gingivae saepius illitum mox mitigarunt. Sensim sedato ptyalismo diarrhoea aegrotam infestavit quam decoctum Salep cum tinctura

41) Weinhold. Von den Krankheiten der Gesichts-Knochen etc. Med. chir. Zeitg. 1819. N. 17.

42) Rcp. Camphor. Drach. unam.
Ol. Amygdal. Unc. unam.
M.

Opii paucarum dierum spatio fugavit. Excrescentia ad finem anni praeterlapsi eadem permanserat atque ulcera nullam aliam indolem assumserant. Fluor albus paululum mitigatus erat.

Per mens. Ianuarium ann. curr. aegrota decoctum Zittmanni 43) rite hausit, neque tamen inde degeneratio tantillum mutata est et tantummodo ulcusculorum quaedam levia cicatrice obducta sunt. Qua medendi methodo irrito tentata ab octavo mens. Februarii ann. c. die aegrota quotidie duplici vice (mane et vespere) hydrargyri muriatici mitis granum assumsit, hucusque vero (sub fine mens. Mart. a. c.) absque ullo evidente fructu. Ulcera tamen, quibus his diebus hydrargyrum praecipitatum rubrum saepius adspersum est, laetiorem vultum induere. —

Cap. IV.

Collatis singulis, quae in utriusque morbi historia modo enarravi, nonnulla quidem reperire licet, in quibus altera excrescentia ab altera discrepat; nihilominus tamen sanae rationi congruum videatur, utramque ad unam eandemque speciem relegare et quae adiungenda sint ad utramque referre. In depingenda mali origine ceterum sat accuratae aegrotarum narrationes aliquantum quidem inter se differunt, attamen irrito utramque conciliare moliemur, cum hoc coniecturis potius, nihil profuturis, quam sat validis argumentis assequi nos posse in confesso sit. Nec enim probari potest, utrum cutis aliqua glandula sebacea cognita vel incognita ex causa inflammata, cum circumiacente tela cellulosa in tuberculum quoddam abierit, uti de prima aegrota retulimus, aut ab ulceratione orta nymphis peculiaris ad degenerationem nisus impertitus sit, an potius absque omni totius corporis incommodo in nympharum clitoridisue corpore cavernoso singularis labes latuerit, vel denique morbi cuiusdam contagiosi seminium huiusmodi degenerationi ansam porrexerit. De postremo infra dicemus.

Primo vero quaeritur, utrum huiusmodi degeneratio nymhharum propria sit, an quoque alias ad partes occurrat. Postremum certe experientia sat comprobatum est. Ill. Rust similem verrucosam excrescentiam magnae molis, ulceribus hinc inde obsessam observavit, quae, infra umbilicum stilo angustiore affixa, ad genua usque pendula demissa erat umbilicumque protruserat, quamque uti humaniter mecum communicavit prospero cum eventu resecavit. Nostris simillimam degenerationem post laesionem e verruca labii pudendi sinistri maioris ortam Ioh. Barth Siebold 44) vidit, quae itidem fauste amputata est.

---

43) Rusts Magaz. f. d. gesamt. Heilk. B. 13. S. 70. | 44) Loders Journ. f. d. Chir. etc. B. II. St. 4. p. 607

Meckel 45) degeneratae clitoridis mentionem fecit in foemina lue venerea infecta observatae quae cum descriptis degenerationibus optimo iure conferri potest. Scrotum nonunquam simili malo laborare dicitur.

Nunc vero causae inquirendae sunt e quibus degenerationes quarum historiam tradidimus ortum duxerint. Causae mechanice agentes haud repertae sunt, fluor albus cui tale quid imputari possit, tantummodo in altera foemina adfuit, neque facile nymphas inquinaverit, atque sanis humoribus (quos genitalia secernunt, talem vim adscribere speciosi magis quam veri indicii foret 46). Quamquam nulla vel accuratissima percontatione erui potuit infectio, restare tamen videtur ut nonnullorum cum dyscrasia quadam coniunctorum morborum, qui genitalia quam maxime infestare solent, mentionem faciam, cuius prosapiae et syphilis et elephantiasis esse videntur.

Syphilis quidem diversissimas cutis et subiectae telae cellulosae degenerationes producere valet, neque exemplis destituti sumus ubi nympharum degenerationes nostris quam simillimae aut e syphilide ortae feruntur, vel post illam iam sanatam, vel simul cum illa observatae sunt 47). Praetereaque forma ulcerum, quorum in secunda morbi historia memini haud parum ad syphiliticum virus suspicandum suadet. Tamen infectio non extra omnem dubitationis aleam posita est, et utraque uxor ulceribus genitalium raro destituta, quae a coitu

---

45) Meckels pathol. Anatom. B. II. S. 312.

46) Hufelands Journ. d. p. Heilk. 9.B. 3. St. p. 183.

48) Charl. Mansfield Clarke, observation on those Diseases of femals which are attensed by Dicharges etc. Ubers. v. Heinecke B I. S. 185 Meckel path. An. l. c.

Morlen (Medic. facts and observ: Vol III art. VII) foeminae octodecim annos natae, quae duos ante annos syphilide laboraverat, nympham dextram degeneratam resecavit. Fuit haec quatuor pollicum longitudine atque pondere septem unicarum. Aliquoties ipse nymphas unacum praeputio clitoridis tumidas, turgentes, duras, solito magis rubras aut fuscas multum citra pudendi rimam popendentes videre mihi contigit, aut ulceribus syphiliticis recentibus, aut condylomatis latis aut referente Schurig (Muliebr. hist. p. 133.) bubonibus vicinis in partibus perstantibus, aut denique fluore albo desaeviente. Hebdomadum aliquod spatio intumescentia accreverat, aptis tamen antisyphiliticis medicaminibus adhibitis, primo flaccidior facta penitus evanuit. — Aliquando talem propendentem intumescentiam sub quavis repetita infectione syphilitica redire vidi.

Tamen huiusmodi intumescentias nypharum cum descriptis degenerationibus confundere haud liceat, cum et obiter tantummodo utrumque genus intuenti facile erit diiudicatu. Videas quoque hac de re Franc. Henr. Martens icones symptamat. vener. morb. Tab. XXI et XXII. Meretricis praeputium clitoridis una cum nympha dextra, annorum trium spatio vel decies auctum inveni. Syphilide iam antea laboraverat et ex ea sanatae tumor iste absque ulla alia causa ortus est, sensim sensimque accrevit. Denuo syphilide contaminatae ulcus circa vaginae aditum obortum est, quod quidem apta antisyphilitica medicamina in Caritatis nosocomio sanavere, neque tamen hilum ad intumescentiam diminuendam valuere.

nunquam abhorruit, maritum nulla genitalium aliarumve partium labe contaminavit, neque sibi ipsi ulceribus interdum, absque omnibus medicaminibus sanatis, ne levissimum quidem luis venerae universalis symptoma adcivit. Quibus adde, quod alteri aegrotarum nostrarum ex antisyphiliticorum usu, parum commodi exstiterit, altera vero post degenerationis amputationem hucusque optima valetudine fructa sit. Quid igitur hisce perpensis coniicere liceat? Parum certe, quod causam in aprico collocaret, cum vel originem e lue venerea deducere omnino desperemus, vel nimirum ad syphilidem degeneratam suspicandam, veluti ad latebram confugere cogamur.

Superesse modo videtur ut elephantiasi partiali, quae nonnunquam genitalia infestare dicitur, 48) nostrisque degenerationibus persimilis videri possit, mentionem iniiciamus. Cum tamen quantum quidem rimari nobis licuit, nullum eiusmodi exemplum invenerimus, quod proprie cum nostris conferri mereatur, atque cogitari fere non potest, rem tam notabilem veterum scriptorum industriam fugisse, ceteroquin haud vero simile videatur, lepram nodosam hoc tempore et inprimis his regionibus rarissime occurrentem, absque omni totius corporis labe genitalia invasisse, non possumus quin leprosam degenerationum descriptarum indolem negemus; quamvis in altera aegrotarum, quarum historiam retuli, varices, iam ante graviditatem apparentes, annotavi, (quae quidem inter singula leprae symptomata recensentur) et ulcera alterius excrescentiae istis simillima observavi, quae in pede elephantico semel videre mihi contigit. Pari modo hic terrarum non indigenos morbos, sicuti illum quem Spedalkshed Norwegici nominant, multosque alios ob quorundam symptomatum similitudinem supicari haud liceat.

---

48) Pet Franc epitom. T. IV. p. 228.
Tubercula et condylomata leprosarum genitalia nonnunquam occupare confirmant Haly Abas (Almaleci S. Regal Dispos.) Gordon (Lil: Medicinae P. I.) Montagnana (Consil. 299.) Gilbertus Anglicus (Compend. med. L.VIII.) de Vigo, Hil. lary et Hendy. Schilling (epist. ad Hensler) haec memoriae prodidit: ,,Interdum accidit, ut pudenda affecta sint lepra: sed non ulceribus cancrosis vel phimosi paraphimosi vel gonorrhoea sed tantum macula; et saepissime increscit membrum vel intumescit ad stupendam molem sine dolore; pondere suo solummodo premitur. Vidi in Aethiope stupendum priapum ad veterem imaginem duabus circiter ulnis. Membrum hoc erat tantum macula leprosa inquinatum. In mulieribus clitoridem labiaque vulvae tali modo expansa observavi.,, Kaempfer (Amoenitat. exotic. Fasc. III. Obs. 8.) de peculiari quodam scroti morbo, inter Malabarenses endemico loquitur, quem Andrum (Andu wâ ia ku) nominant quique ex erysipelate subinde recurrente in hydrocelen et sarcocelen abit. De Aegyptiorum sarcocele Larrey (med. chir. Denkwürdigk. B.I. S. 190. Uebers) fusius agit, et de simili labiorum maiorum minorumque degeneratione narrat, (ib p. 202.) quae cum nostris convenire videtur. Iaponenses malo quodam, quod Senki nuncupant frequenter corripiuntur. Ingruit hoc cum acutissimis doloribus colicis, quos vasta scroti atque labiorum vulvae maiorum intumescentia multis tuberculis et ficis stipata sequitur. (Alard Histoire de l'Elephantiasis des Arabes cet. p. 119 Tab. I. fig. 3)

Cap. V.

Expositis igitur quae litteris mandare operae pretium duximus, restat ut descriptae degenerationis medelam in medio ponamus. De qua vera, cum pluribus experimentis fulta sit necesse est, quam quibus uti nobis licuit, breviter tantummodo agamus aequalibus nostris aut posteris, hanc ad rem paratioribus, fusiorem expositionen demandantes. Quantum quidem paucis observationibus atque coniectura assequi liceat medicamina interna, degenerationibus aliis infesta, in hac parum valeant, Mercurius rite administratus plane inefficacem se praebuit et decoctum Zittmanni nihil fere praestitit, graviores vero medendi rationes malum, quippe quod vitae nunquam insidias struere videtur sibi nequaquam exposcit atque totius corporis inde plerumque haud evitandi labes vetat. Optimum certe et praestantissimum esse videtur degenerationem, quam late pateat quantumque absque periculo fieri possit, resecare, cum hoc usu satis comprobatum est. Sin forsan morbi fons aut in aprico sit, aut certe illum suspicari aliquo cum iure liceat, omnia illa medicamina adhibenda sunt, quae alias his in casibus cum fructu aliquo propinata experientiae documentis probantur. — Ulcerum curatio secundum helcologiae praecepta suscipiatur.

CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Ernestus Benjamin Klewitz, decimo octavo Januarii die a. MDCCCII. Rathenoviae, Meso-Marchiae oppido, natus, religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Patrem, praematura morte mihi ereptum, iam a quarto aetatis anno lugeo, matre vero superstite etiamnum gaudeo. Litteris academico cursu praemittendis et in schola Rathenoviae tum florente et privatim institutus, a. MDCCCXX mense Aprili alumnorum seminarii regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani numero adscriptus sum, atque inde per octo semestria medicinae utriusque studiis quantum potui vacavi, neque minus in medicina, chirurgia et arte obstetricia exercenda versatus sum.

Per quod studiorum tempus praelectionibus hisce interfui: Cl. Wolff de hodegetice et logice; Cl. Ritter de philosophiae historia; Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia universa, comparata et pathologica, de physiologia et entozoologia; Ill. Knape de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anthropologia forensi, et de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Link de botanice, historiā naturali et pharmacologia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Hermbstaedt de chemia medica et pharmacia; Cl. Turte de physice chemia et pharmacia; Cl. Eck et Ill. Horkel de physiologia; Cl. Osann de materia medica et de fontibus medicis; Cl. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice et therapia; Ill. Horn de pathologia, therapia et de morbis venereis; Ill. W. Hufeland de morbis acutis et de macrobiotice; Ill. Berends de Hippocratis aphorismis. In chirurgia generali et speciali, neque minus in akiurgia praeceptores mihi fuere Illl. Graefe et Rust et Cl. Kluge. Obstetriciam et fascias imponendi artem doctrinamque de ossibus fractis luxatisque mihi tradidit Cl. Kluge, ophthalmiatricen Exp. Jüngken. Ad medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae praxin me informaverunt Ill. Hufeland, Cl. Neumann, Illl. Graefe et Rust, et Cl. Kluge, in arte vero cadavera rite dissecandi Illl. Rudolphi et Knape me instituerunt.

Quadriennio illo praeterlapso per annum chirurgi inferioris ordinis munere in nosodochio Caritatis unctus sum. Tentamine mens. Maio et examine rigoroso mens. Junio ann. praet. coram gratioso medicorum ordine rite superatis, et dissertatione conscripta, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

TABULARUM EXPLICATIO.

(Icones degenerationem naturali dimidio minorem exhibent.)

Tab. I. Degeneratio inter femora divaricata dependens inspectatur.

a) ulcus.

b) labiorum maiorum commissurae superioris vestigium.

Tab. II. Inter divaricata femora degenerata moles ita elevata est, ut margo inferior sursum spectet et tota posterior superficies obtutui obiiciatur.

a) excrescentia vaginae ostio circumclusa.

b) urethrae orificium.

c) tuberculum pro clitoride habitum.

d) labii maioris sinistri pars posterior.

THESES DEFENDENDAE.

I Corpori vim medicatricem peculiarem inesse nego.

II. Ad sanguinem circumagendum neque cordis, neque vasorum motum, neque movendi vim sanguini insitam, per se satis valere, contendo.

III. Hymen salvus non certa est virginitatis intactae nota.

IV. Memoriam non in singulae cuiusdam encephali partis virtute niti persuasum habeo.

V. Ubi gravidae pelvis iusto angustior reperitur, melius est partum ante statutum tempus arte elicere, quam serius ad excerebrationem, embryotomiam vel caesaream sectionem confugere.

VI. In angina membranacea neque bronchotomia neque tracheotomia usui esse potest.

VII. Tumor lymphaticus, qui dicitur, e vase lymphatico disiuncto originem non ducit.

VIII. Hydrocele tunicae vaginalis testiculi optime per incisionem magnam curatur.

Tab: I.



Klewitz ad natur: pinx:

Todt fec:

Tab: II.



Klewitz ad natur: pinx: Todt fec: